

quicquid ex eo consequitur, habet sibi soli proprium.

10. *Quare: Quicquid de assumpta Christi natura dicitur personaliter, hoc non potest de ulla alia creatura affirmari.*

11. Sophistæ sunt, qui dicunt, de natura tantum naturalia, de persona personalia prædicari. Nam profectò natura Christi humana non subsistit ἐν τῷ λόγῳ naturaliter, sed personaliter. Et pro personalis unionis ratione & modo multa prædicantur de carne Christi personaliter.

12. Intima illa naturarum περιχώρησις ostendit factam esse unionem illam ἀδιακρίτως, ἀχωρίσως, ἢ ἀδιασάτως. Contra Nestorianos.

13. Et quia facta est absq; naturarum confusione; hoc est, ut pij Vereres loquuntur, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως ἢ ἀναλλοιώτως: refutantur inde Eutychiani & Stenckfeldiani.

14. Quod verò de naturis dictum est, idem est etiam de illarum proprietatibus & operationibus intelligendum.

15. Facit hæc intima unio, ut quamvis in Christo sit ἄλλο ἢ ἄλλο, alia atq; alia natura, nempe divina & humana, non tamen sit ἄλλο ἢ ἄλλο, alia atq; alia persona, ut sit alius Christus Deus, alius Christus homo: sed ut sit unus & idem Christus, Deus & homo.

16. Huius unionis causa efficiens est S.S. Trinitas. Pater enim mittit filium, qui nascitur  
scitur